

Pars II.

De Etymologia

Caput I

De Articulo

§ 1. Cum in Lingua Daco-Romana terminatio nominum eadem maneat in omnibus Casibus, Articuli, quibus praeter Genera Casus quoque indicantur, perpetuo adhibeantur, necesse est.

Est autem Articulus in Daco-Romana Lingua duplex: alter definitus, qui rem determinat, indefinitus alter, qui rem non determinat.

§ 2. Indefinitus est *Un*, quidam masculini, & *O*, quaedam foeminini Generis, Neutro enim Daco-Romani prorsus carent. Declinanturque hoc modo:

ARTICULI INDEFINITI
DECLINATIO

Singulariter.

<i>Masc</i>
N. Un, <i>Quidam</i> .
G. A-unui.
D. Unui.
Ac. Pe-un.
V. <i>caret</i> .
Ab. Dela-un.

<i>Fem.</i>
O, <i>Quaedam</i>
A-unei.
Unei.
Pe-o.
<i>caret</i> .
Dela-o.

Pluraliter.

N. Uni, <i>Quidam</i> .
G. A-unor.
D. Unor.
Ac. Pe-uni.
V. <i>caret</i> .
Ab. Dela-uni.

Une, <i>Quaedam</i> .
A-unor.
Unor.
Pe une.
<i>caret</i> .
Dela-une.

Nota I. Articulus indefinitus, quando adhibetur absque nomine, indiget articulo definito tam in singulari, quam in plurali; quando vero cum nomine est conjunctus, articulo definito non indiget, potest tamen in plurali hunc quoque tibi addicere. v.g. *Au murit un hom*, mortuus est quidam homo. Sine nomine dicendum: *Au murit un-ul*, mortuus est quidam. In plurali dicitur: *Au murit uni homeni*, vel *Au murit uni-i homeni*, mortui sunt quidam homines.

II. Articulus indefinitus foemininus, quando definitum tibi addicit, in Nominativo singulari non amplius dicitur O; tel Una cui addito articulo definito A fit Una. V.g. *Au murit o muliere*, mortua est quaedam mulier. Sine nomine, & cum articulo definito dicendum: *Au murit una*, mortua est quaedam.

III. Possunt loco Articuli indefiniti pluralis numeri tam masculini, quam foeminini adhiberi Pronomina *Nesce*, vel *Nisquali*, quidam, quaedam. V.g. loco *Uni homeni plang*, quidam homines plangunt, dici potest *Nesce*, vel *Nisquali homeni*, vel *mulieri plang*, quidam homines, vel quaedam mulieres plangunt.

De Articulo definito.

§ 3. Articulus definitus masculinus est *L'*, vel *Le*, vel *Ul*, aequivalens Articulo definito Germanorum *Der*, & Italorum *Il*. *L'* postponitur nominibus masculinis, desinentibus in *A* vel *U*. V.g. *Tata-l'*, *Der Vater*, Il Padre. *Reu-l'*, malus. *Le* desinentibus in aliam quamcumque vocalem. V.g. *Cane-le*, *der Hund*, il cane, canis. *Ul* postponitur nominibus masculinis desinentibus in consonantem simplicem, aut duplicem. V.g. *Bon-ul*, bonum, *Domn-ul*, Dominus, *Der Herr*, Il Signore.

Articulus definitus foeminius est *A* aequivalens articulo Germanorum *Die*, & Italorum *La*, postponiturque nominibus foeminiis quomodocunque desinentibus. V.g. *Lana-a*, lana, *Flore-a*, flos &c.

DECLINATIO
ARTICULI DEFINITI.

Singulariter.

<i>Masc</i>	<i>Fem.</i>
N. L', <i>vel Le, vel Ul.</i>	A.
G. A-lui, <i>vel A-ului.</i>	A ei.
D. Lui, <i>vel ului.</i>	Ei.
Ac. Pe-l', <i>vel Pe-le, vel Pe-ul</i>	Pe-a.
V. <i>caret.</i>	<i>caret.</i>
Ab. Dela-l', <i>vel Dela-le, vel Dela ul.</i>	Dela-a.

Pluraliter.

N. I..	Le.
G. A lor.	A-lor.
D. Lor.	Lor.
Ac. Pe i.	Pe le.
V. <i>caret.</i>	<i>caret.</i>
Ab. Dela i.	Dela-le.

(S. Micu-Gh. Șincai, *Elementa linguae daco-romanae sive valachicae*. Studiu introductiv, traducerea textelor și note de M. Zdrenghea, Dacia, Cluj-Napoca, 1980, pp. 21-23)